

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3857

**Auteur(s)** : Nicolas III [pape]

**Bénéficiaire(s)** : France (roi)

**Genre d'acte** : bulle

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1278, 7 mai

**Lieu d'émission** : Rome

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Bulle de Nicolas III adressée au roi de France sur l'élection de l'archevêque de Rouen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 924, p. 226.

Texte établi d'après a

Nicholaus episcopus servus servorum Dei, carissimo in Xpisto filio regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Divine gratia majestatis acquiritur, si ministris ejus et hiis precipue qui pontificali sunt predicti dignitate, pro ipsius reverentia, condignus honor impenditur, et favor necessarius exhibetur. Sane Rothomagensis ecclesia dudum pastoris solatio destituta, dilecti filii decanus et capitulum ejusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse ad tractandum de futuri substitutione pastoris, insimul convenerunt, diversisque super hoc ad invicem tractatibus habitis, demum in hujusmodi negotii per viam scrutinii procedentes, tres ex ipsorum collegio ejusdem ecclesie canonicos fidedignos ad scrutandum vota cunctorum, juxta formam generalis concilii, assumpserunt. Eisdem igitur canonicis sua et omnium aliorum canonicorum predictae ecclesie qui propter hoc convenerant vota scrutantibus, et mox publicantibus in communi, compertum extitit quod, cum quadraginta quatuor essent canonici dicte ecclesie tunc vocem in prelati electione habentes, viginti et octo ex eis in dilectum filium Guillelmum electum Rothomagensis suos consensus direxerant, reliquis in diversos dirigentibus vota sua, sicque, collatione habita, ut est moris, unus ex predictis viginti et octo qui in eundem Guillelmum consenserant, de mandato et consensu reliquorum viginti et septem, sua et eorum vice, dictum Guillelmum in Rothomagensis archiepiscopum et pastorem elegit, ipseque Guillelmus demum prebuit hujusmodi electioni de se celebrare consensum. Verum dilecti filii Adam Rigaudi et Guido de Ravennello, canonici ecclesie memorate, se opposcentes electioni predictae, ad sedem apostolicam appellarunt, in appellationis sue forma contra personam memorati Guillelmi diversa crimina opposcentes. Ipso itaque Guillelmo et dilectis filiis magistro Petro de Jaigniaco, pro se, ac Hugone de Amolio cancellario, et Johanne de Melleto, Symone de Marco, et Grimerio de Arcellis, in prosecutione hujusmodi negotii sibi adherentibus, canonicis ipsius ecclesie, sepefati Guillelmi electoribus, quorum idem magister Petrus procurator erat, ex parte una, dicto vero Guidone personaliter et Adam de Nigella, procuratore ipsius Ade Rigaudi, super eodem negotio sedem adeuntibus supradictam, extitit super hoc apud eam inter partes aliquandiu disceptatum, et tandem dictus Adam de Nigella, habens a dictis A. et G. ad hoc speciale mandatum, in nostra presentia appellationi sub certa forma, que postmodum observata extitit, renunciavit

eidem, et ab hujusmodi criminum oppositione recessit. Nos autem paterna volentes sollicitudine precavere, ne prefata ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurrat, et cupientes ut ecclesia ipsa utili presidio munita pastoris, Deo propitio, relevetur a noxiis, et obtatis (sic) proficiat incrementis, electionem ipsam, quoad formam, et tandem personam ipsius Guillelmi in scientia examinavimus et examinari fecimus diligenter, et quia electionem eandem invenimus de persona competentis scientie et alias ydonea canonice celebratam, predictam electionem, de fratrum nostrorum consilio, duximus confirmandam, ipsumque Guillelmum ipsi ecclesie prefecimus in archiepiscopum et pastorem, firmam spem fidemque tenentes quod eadem Rothomagensis ecclesia per diligentiam et industriam ejusdem Guillelmi, cum habeatur bonitate conspicuus et sollicitudine circumspectus, laudabilia, dante Domino, suscipiet incrementa. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus, te prefato electo, pro divina et apostolice sedis reverentia, reddens affectu benevolum et opere gratiosum, ejusdem ecclesie jura, quantum in te fuerit, benigno favore protegas et defendas, ita quod idem electus in exequenda sollicitudine sibi tradita possit prosperari facilius, et nos celsitudinem tuam possimus exinde dignis in Domino laudibus merito commendare. Datum Rome apud Sanctum Petrum, nonis maii pontificatus nostri anno primo.